



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Osanna V. 18. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## S. OSANNA V. 18. Iunii.

**I**Nter Deum & OSANNAM Mantuanam continuum certamen amoris fuit. Data utrinque acceptaque pignora, quibus neque Deus charius quidquam, nec pretiosius mortales habent. Virgo illibatam pudicitiae florem Deo sacravit: ille vicissim arborem suae crucis orantis humeris imposuit, ex vero deinceps dicitur: *Amorem Ponderis meum*. Omnes certe OSANNÆ cogitationes eò ferrebantur: iis maximè diebus, quos amor ejus in cruce pendens fecit sanctiores: cui tamen satis non fuit animo sauciam aspicere, nisi corpori etiam stigmata infingeret, non nisi paucissimis, & in omnia familiaria jura receptis, ut tesseram amicitiae concessa. His ditata characteribus satis utique literata fuit, potuitque in hanc sancti amoris scripturam acquiescere. Accessit tamen auctarium, & sub Deiparæ disciplinam nostrum etiam Alphabetum dedici: ut his quoque humanæ ruditis elementis proficeret ad magisterium virtutis: neque enim quemquam pestem puduit tot caelestis sapientiae insignia circumferentem, prospicientem futura, familiarem Angelis consulere, aut audire monentem. Viri Principes agendas illi suas apud Superos causas detulere, certa spe victoriæ, si patrocini-

19. Iunii. VITÆ SANCTORUM. 389  
trocinium suscepisset. Et hoc tantum or-  
bis miraculum anno M. D.V. terras dese-  
ruit, ne queri quisquam possit, nullam  
nostro ævo magnam virtutem gigni.  
Quidvis? anulli Deus invidet suam cru-  
cem? sed nos delicati humeros subducim-  
us. *Ex Phil. Fer.*

*Tolle Crucem tuam, & sequere Iesum, &  
ibis in vitam æternam: præcessit ille baju-  
lans sibi Crucem, & mortuus est pro te in  
Cruce; ut & tu tuam portes Crucem, &  
mori affectes in Cruce. Thom. à Kemp.  
l. 2. c. ult.*

S. BONIFACIUS EP. MART.  
19. Iunii.

Fuit BONIFACIUS Ottoni Imp. san-  
guine, plus amicitia junctus, quæ qui-  
dem tanta inter illos erat, ut cum fami-  
lariter illum hic compellaret, animam  
suam identidem diceret. Liberalibus ar-  
tibus omnibus, musicis præcipuè instru-  
ctus, dum modulos in æde cognominis  
sibi D. BONIFACII instruit, caelesti  
Numine repente afflatus, *Heus!* excla-  
mat, *quid vanam ego nominis umbram ge-  
ro? quid Martyris titulum circumfero, si  
non victorias etiam & palmas? Superos te-  
stor, & cognominem Dirum, aut non dicar  
BONIFACIUS, aut ero. simul ad monaste-  
rium abiit Martyrii tyrocinia positurus.  
Avelli Ottoni animam suam vidisses:*

Bb 3

At